

B. h. II, 320.  
h. 62, 20.

89  
II k  
2430

D. F. G.  
VENATIONEM FERARUM  
BESTIARUM,

Magnifici Jctorum Ordinis  
suffragio,

PRÆSIDE

DN. ANDREA MYLIO, J. U. D. & P. P.

publicè respondendo  
tuebitur,

George Gottfriedt Bey/Torg.  
AUTOR.

Ad diem 7. Decembr. 1682.

LIPSIAE  
Literis JOH. GEORG.



24

35.



D. E. G.  
VENATIONEM FERARUM

BESTIARUM

Magistri Petri Ordon

Magistro

PRÆSIDI

DR. ANDREA MYLIO, J. U. D. & P. P.

publice respondendo

causam

Georgii Bonifacii Guntztorfii

AUTOR

Ad diem 2. Decembris 1682.

LIPSIÆ

Lithis JOH. GEORG.



la.  
vi  
cis  
na  
na

S

tes.  
da.  
de ju  
qui c  
Hip  
casti  
per  
victu  
genc  
cessa  
est P  
gnæ  
gere  
pere  
iam  
Nigr  
lib. 1.  
rum

205





D. F. G.

PRÆFATIO.

**S**unt quidam, qui Venationem vix unquam satis justis præconiis ornari posse putant. Nec abs re. Venatio enim in vitâ communi plurimas easq; maximas præstat utilitates. Hæc inservit valetudini firmandæ ac conservandæ. Ranzov. *de conserv. valet. cap. 9.* Mor de Nigrom. *de jur. ven. part. 2. cap. 12. n. 1.* Hæc negotia præbet iis, qui otium, Libidinis fomitem, fugere student. Sic Hippolytus Thesei Filius, apud Euripidem & Senecam, castitatis servandæ, & otii vitandi causa, consecrandis per memora feris sese exercet. Hæc lautiore fruimur victu, hæc plurima è feris ad persanandum vel protegendum corpus, vel ad alios usus accommodata & necessaria adipiscimur. Ranzov. *d. tr. cap. 26. & 37.* Hæc est Progymnasma & Præparatio ad res bellicas, & Pugnæ Simulacrum. In ea enim summô diluculo surgere, equitare, currere, prosilire, feras observare, excipere, jaculo petere, æstum frigusq; perferre, sæpè etiam famem necesse est. Gail, *2. observ. 67. n. 1.* Mor de Nigrom. *d. tr. d. l. n. 4.* Quod & Xenophon *Cyropæd. lib. 1.* asserit, Venationem verissimam rerum bellicarum Meditationem appellans. Quare summi Principes

393 593  
pes atq; Heroës, eam semper tanquam peculiare sibi  
Exercitium amplexi sunt & coluerunt. Mor de Ni-  
grom. d. l. n. 2. Ziegler. de Jur. Majest. lib. 2. cap. 14. n. 43.  
Verùm, sunt & alii, qui ejusmodi Sylvanis ac Satyris,  
quibus plus cordi sunt bestiaë, quam Homines, accla-  
mant, Venationem vocari artem neqvissimam, c. qui  
venatoribus 9. dist. 86. Nec ullum in Scripturis Sacris  
reperiri sanctum Venatorem. c. esau. 11. dist. 86. Nam  
qvæso, qvæ in illis, qui pluris æstimant feram quam  
Hominem possit esse sanctimonia? Si consideramus  
exactiones & onera, qvæ venationis nomine subditis  
imponuntur, sive alendi sunt Canes, sive fataë messes  
præbendæ feris pro pabulo, sive vigilandum ad retia,  
etiam media hieme. Si videmus eos venandi studium  
adeo sectari, ac si summa rerum suarum in eò posita  
sit necessitas, & interim posthabitâ Republica & ne-  
cessarii muneris functione, in silvis & saltibus, ferarum  
instar, vagantur. Accedit, quod & pluribus Heroibus  
Exercitium hoc infeliciter cesserit, & dum feris insi-  
diarunt, ipsi in maximas infidias, & vitæ discrimine  
conjunctas, prolapsi sunt. Exempla Maximiliani I.  
& II. sunt nota, qvæ recensere hîc, nec proposita brevi-  
tas, nec instituti nostri ratio patitur, possunt tamen  
videri apud Richterum in axiom. polit. 117 exempl. 18. & 26  
Cæterum, hæc non ideo dicimus, quasi omnem pror-  
sus venationem damnemus, sed saltèm abusum ejus  
taxamus. Quapropter eam cum Ioan. Sarisberien.  
in polycr. lib. 1. cap. 4. inter res indifferentes collocan-  
tes, pauca qvædam, non quidem pro dignitate hujus  
materiaë, sed quantum cœlestis Favor & tenuitas in-  
genii concessit, literis consignare & in medium pro-  
ferre

894  
ferre nobis visum est. Sit itaq; in Nomine Domini nostri Jesu Christi, in quo ad omnes actus semper progredimur. l. 2. C. de offic. pref. prat. Afr.

## THESIS I.

Quò autem rem rectò ordine (a) aggre-  
diamur, ante omnia Etymologiam (b.), &  
varias Significationes (c) vocis præmittemus.  
Quidam igitur Venationem à Vento (d.), qui-  
dam ab Eventu (e), quidam à Venis (f)  
dictam putant,

(a.) Est enim ordo divina res in naturâ, sine! quò ipsa con-  
stare non potest, Scalig. *de subtil. exerc. 2. in pr.* & Entium  
Modus, qui omnia quæ scribimus, clariora reddere debet, Menoch.  
*de arb. jud. quest. in pref. num. 12.* & in quò Perfectio omnis operis  
maximè consistit. Negusant. *de pign. & hyp. in pr.* Hinc ea, quæ  
ordine traduntur, non solum per spicua & facilia sunt, sed etiam Me-  
moriæ (quæ alias infirma & labilis est. l. 44. ff. de acqu. poss.)  
facilius in hærent. Schneidevv. *ad pr. 7. de hered. quæ ab intest.*  
*n. 1.* Contra, ordine non observato, sequitur confusio, & sine eò  
procedens, dicitur equum frenare per caudam Warem. ab Erenberg.  
*de fed. lib. 1. cap. 1. n. 143.* Parth. *Litig. lib. 1. cap. 15. n. 4.* scire enim  
quid facias & nescire quò ordine, non est perfectæ cognitionis. Ne-  
gusant. *d. l. Borch. de feud. im provem. n. 2.*

(b.) Solet enim plerumq; prior Verborum, potior rerum  
haberi ratio, Besold. *disp. de regal. Tb. 1. S. 2.* & quemadmodum  
Natura ab elementis, ita quoq; Ars à vocabulis incipere debet.  
Warem. ab Erenberg. *de fed. lib. 1. cap. 3. n. 4.* Multum itaq; con-  
ducit verbi Etymologiam indagare, ea enim verbis dat proprium  
significatum. Rugt. *Rul. de commissar. part. 1. lib. 1. cap. 2. num. 4.*  
Unde Ciceroni, in *topicis* vocatur Veriloquium, quibusdam & Ori-  
ginatio. Quintil. *lib. 1. cap. 9.* Non solum autem Philosophi, sed

395  
& Interpretes Juris, in rebus præsertim novis, attendunt Etymologiam, ut latè hæc deducit Rutg. Ruland. *d. l. n. 7.*

(c.) Æmulati Jctos, qui diligenter verborum significationes sunt persecuti, *arg. l. 195. l. 204. ff. de V. S.* Intellectis enim vocabulis, rectius ipsam rem intelligere, & intellectam facilius determinare possumus. Rutg. Rul. *d. l. n. 1. & 2.* nam verba sunt Instrumenta, quibus res significantur. Matth. Steph. *de Jurisd. lib. 1. cap. 1. n. 9.* Contra verò turpe est differenti proprios terminos ignorare, & prius determinare rem ipsam, quam terminos percipere. Warem, ab Erenberg. *de fæder. lib. 1. cap. 3. n. 4.*

(d.) Varro *lib. 4.* Harprecht. *ad §. 12. I. de R. D. n. 9.* eò, quod Venator feram sequatur in ventò, & ad ventum.

(e.) Ideò, quod multi venentur, sed non omnes prædam consequi eveniat. Paul. Franc. Romanus *disp. de ven. tb. 1.*

(f.) Pontan. *3. progymn. part. 2. colloqu. 77.* Beckmann. *de orig. ling. lat. lit. f.* Harpr. *ad d. §. 12. J. de R. D. n. 9.* ut venari sit scrutari venas, & qui animalia venatur, is quasi venas scrutari videatur. Si verò dicendum quid res est, vera & genuina vocabuli Origò, neq; hic neque supra indicatur, sed dicitur Venatio à suo verbo venari, argumento eorum quæ habet Hahn. *ad Wesenb. ff. de Jurisd. n. 2. verb. id propriè munus,*

## THESIS II.

Venationis Nomen in jure quadruplicis (a.) est Significationis, nam (1.) accipitur pro prædatoria Hominum oppressione (b); (2.) pro adulatoriâ rei alicujus captatione (c); (3.) pro decertatione cum bestiis in theatro (d) & (4.) pro ferarum occupatione (e), quæ hujus loci propria est.

(a) Quidam tantùm triplicem constituunt. Menoch. *de arb. Jud. quest. lib. 2. cas. 413. n. 3.* Medic. *de ven. part. 1. quest. 1. num. 5.* Ziegler. *de jur. Maj. lib. 2. cap. 14. n. 3.* Pleriqve tamen quadruplicem, Pruckman. *de Regal. §. venatio. cap. 3. num. 1.* Noë Meurer. *von Jagt und Forstrecht pag. 132.*

896

(b.) Quæ & oppressiva vocatur, Medic. d. l. n. 2. Primi, qui hanc exercuerunt, fuere Cain Fratricida, & Nimrod, qui cepit robustus Venator esse coram Domino, Gen. 10. 9. i. e. Hominum oppressor & extinator c. non est. 3. §, bis itaque. dist 9. Huc faciunt dicta Jerem. 16. 16. Mich. 7. 12. Psalm. 91. 3. Hæc Venatio omninò illicita est, Medic. d. l. Noë Meurer. von Jagt- und Forstrecht. pag. 132. extat enim divinum Præceptum, Non occides, Menoch. de arb. Jud. quest. lib. 2. cas. 413. n. 4.

(c.) Dicitur venatio adulatoria, quâ quis alium prætextu benevolentia, verbis blandis inescatum circumvenit. Fitque vel nimium extollendo bonum, vel laudando vitium, c. va qui dicitis. 59. caus. 11. quest. 3. Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 1. cap. 1. n. 7. ubi non minus periculi infertur lingua mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo, c. nemo 81. caus. 11. quest. 3. ideoque illicita habetur, c. sunt nonnulli. 2. Dist. 46. c. sunt plurimi. 11. caus. 6. quest. 1. & tam poenis æternis, quas minatur Esaias cap. 5. 20. quàm corporalibus coërcetur. Exempla occurrunt in Sacris. 2. Sam. 1. 15. & 4. 12. Esth. 7. 10. Cæterum ad hanc Venationem etiam pertinet id, quod Imperator Justinianus de Lenonum Infidiis Nov. 14. c. un. dicit, eos videlicet circumire provincias & loca varia, & miseras juvenculas decipere, promittentes calceamenta, vestes & alia munuscula, ad corrupendas animas comparata, & his venari eas. Verùm his etiam sua poena est, ultimum videlicet supplicium, d. Nov. 14. §. praconizamus Rittersh. expos. Novell. part. 12. cap. 7. n. 3. Hodie tamen quibusdam in locis arbitrariè puniuntur. Carpz. in prax. crim. part. 2. quest. 71. n. 59. & seqq.

(d.) Appellatur & arenaria, Medic. de ven. part. 1. quest. 1. n. 4. quando quis contra feram bestiam in arena pugnat. Menoch. de arb. Jud. quest. lib. 2. cas. 413. num. 5. Noë Meurer von Jagt/ und Forstrecht. pag. 132. Gail. 2. Observ. 68. num. 8. Mos enim fuit antiquis Romanis, ut in spectaculis populorum, ludi loco exhiberentur feræ, cum quibus homines decertarent, & hi ab arena arenarii, l. 21. §. 2. ff. de testibus l. 38. pr. ff. de oper lib. à bestiis verò cum quibus colluctabantur bestiarii dicti sunt. Coras. 4. miscell. cap. 24. num. 9. Hæc venatio omnibus interdicta est, quia ingens est pec-

peccatum, ita decertare, ut hominum interitus sequatur. Menoch. *d. cas. 413. num. 9.* Verum fallit hoc, & licita est hæc Venatio, quando non ob mercedem, sed virtutis ostendendæ & virium experiundarum gratia fit. *l. 1. §. 6. vers. denique. ff. de postul. l. 4. ff. de his qui not. infam. Gail. 2. observ. 68. n. 9.* qui verò operas locat & quæstus gratia in arenam descendit, infamis fit, *d. l. 1. §. 6. vers. & qui operas. ff. de postul. l. 2. in fin. ff. de his qui not. infam.* Si verò talis sit bestia, quæ regioni nocet, eò casu locans operas extra arenam, infamis non fit. *d. l. 1. §. 6. vers. (sed si quis. ff. de postul. Gail. d. l.*

(e.) Vocatur aliàs occupativa, Noë Meurer. von Jagt und Forstrecht / pag. 132. item saltuosa, Ziegler. *de jur. Maj. lib. 2. cap. 14. num. 3.* Nos rejectis reliquis speciebus, de hac postremâ venatione, quæ ferarum est, & propriè venationis nomine venit, impræsentiarum agemus.

### THESIS. III.

Visa Etymologia & ancipiti Significatione Venationis, eam sic definimus (a): Venatio est Occupatio (b.) ferarum bestiarum (c.)

(a.) Definitionis enim locum Etymologiæ proximum esse debere docet Cantiuncula, Rutg. *Rul. de comm. part. 1. lib. 1. cap. 3. n. 1.* Habetur enim Definitio tanquam regius Censor, vim ac potestatem, ac rei naturam demonstrans Rutg. *Rul. d. l. n. 2.* & Dd. in quacunqve re explicandâ eam attendam gravissimè monent, Ciceronis autoritate moti, omnem quæ à ratione suscipitur aliquâ de re institutionem, à definitione debere proficisci, tradentis *offic. lib. 1.*

(b.) Quidam generis loco ponunt Persecutionem, Mor de Nigrom. *de jur. ven. part. 1. cap. 1. n. 10.* Amad. Eccolt. *ad tit. ff. de A. R. D. §. 13.* eò, quod is, qui venatur, non statim occupet, sed secuetur animalia, & multa accidere possint, ut nihil capiat. *§. 13. J. de R. D. l. 5. §. 1. vers. plerique, ff. de A. R. D.* Verum nos ponimus Occupationem, secuti Zoannettum *de dupl. ven. n. 21.* Harpr. *ad §. 12. J. de R. D. n. 11 Vultej. ad d. §. 12. J. de R. D. num. 5.* Lauterb. *comp. Jur. ad tit. ff. de A. R. D. Paul Fuchs. ad d. §. 12. J. de R. D. Bicc. in reb. quot. sect. 3. tb. 10.* Francisc. Amelin. *in restit. lib. 2. tit. 2. Kling. ad §. 12. J.*



12. *J. de R. D. pranob. Dn. Præsidentem in nucl. J. § 12. de R. Divis. quia*  
(1) Solo animo Possessio & Dominium non acquiruntur, sed animo &  
corporali apprehensione simul, *l. 25. §. 2. l. 30. ff. de Acqv. poss.* Solus  
autem apprehendendi conatus ac persecutio aliud est, quam ipsa  
Occupatio, quemadmodum alias Conatus ab actu perfecto distin-  
guitur. *l. 1. ff. de extraord. crim. Wesenb. ad §. 13. I. de R. D.* (2.)  
concessâ occupatione, conceditur etiam persecutio, in eo enim  
quod plus est, inest & minus. *l. 21. l. 110. ff. de R. J. & concessio sine*  
*concessâ intelliguntur media, ad finem consequendum idonea, arg.*  
*l. 2. ff. de jurisd.* si verò tantum persecutio absq; occupatione con-  
cederetur, Venator suum finem non assequi, i. e. feris uti frui non  
posset, aliter enim non sunt nostræ feræ, nisi eas ceperimus, *§. 13.*  
*I. de R. D. l. 5. §. 1. vers. pleriq; ff. de A. R. D.* (3.) Si Venator ferâ  
quam persequitur potitur, id ex accidenti fit, & perrarò, ea verò  
quæ rarò accidunt & specialiter evenire possunt, non attenduntur,  
*l. 4. l. 5. l. 6. ff. de legibus. l. 114. ff. de R. Iur.*

(c.) Quæ immensam atq; infinitam à naturâ liberè vagan-  
di potestatem habent, quarum natura non est cicurata, *Dd. in §.*  
*14. & 15. I. de R. D. Duaren. ad tit. ff. de A. R. D.* quibus inest natu-  
ralis seu genitalis feritas, *l. 1. §. 10. ff. si quadr. paup. fec.* quæ va-  
gantur in naturali libertate, *l. 5. pr. ff. de A. R. D. l. 3. §. 14. ff. de ac-*  
*qvir. poss. sive laxitate, §. 12. I. de R. D. l. 3. §. 1. l. 5. §. 1. ff. de A. R.*  
*D. l. 1. §. 1. l. 3. §. 14. ff. de acqvir. poss.* Excipiuntur itaq; illæ, quæ  
arte cicures & mansuetiores factæ sunt, ut ire & redire soleant,  
quemadmodum Cervus Sylviæ apud Virgilium 7. *Æneid. v. 488.*

*Ille manum patiens, mensq; assuetus herili,*

*Errabat silvis, rursusq; ad limina nota,*

*Ipsè domum serâ quantumvis nocte ferebat.*

Hujusmodi etiam Cervam olim hîc Lipsiæ per aliquot annos cir-  
cumvagasse, procul dubio nonnullis constabit. Eæ enim non fiunt  
occupantis, sed ejus manent quo ire & redire solitæ, quod inde  
colligitur, cum revertendi consuetudinem deseruerunt. *§. 15. I. de*  
*R. D. l. 4. l. 5. §. 5. ff. de A. R. D.* Deinde removentur domestica  
& mansueta animalia, quæ non curâ & industriâ hominum, sed sui  
natura talia sunt, quæ vè gregatim pascuntur, *§. 1. I. ad Leg. Aquil.*  
His accensentur feræ vivariis inclusæ, die in den Thiergarten feyn/

B

hæ

hæ enim, quamvis feræ sint naturæ, tamen non amplius versantur  
in naturali suâ laxitate, sed facili negotio, quâdocunq; lubet, ca-  
pi possunt.

#### THESIS IV.

Præmissa Venationis Definitione & no-  
minali & reali, ad Causam efficientem prope-  
ramus. Estq; vel Remota, vel Proxima. Illa  
est Jus Gentium (a); Hæc sunt Venatores (b).

(a.) Nam ex modis Jure Gentium acquirendi Dominium  
primus & præcipuus est Occupatio. Vinnius ad §. 12. I. de R. D.  
& Dd. communiter. Et Venatio est Species Occupationis, Eccolt.  
ad tit ff. de A. R. D. §. 12. hinc feræ bestię simul atq; ab aliquo  
captæ, i. e. apprehensæ, & in manum ac potestatem alicujus redactæ  
sunt, Jure Gentium statim occupantis fiunt, §. 12. I. de R. D. Vinn. d. l.

(b.) Veluti Principes, per ea quæ tradit Gail. 2. observ. 67.  
num. 1. Ziegler. de jur. Maj. lib. 2. cap. 14. n. 43. & ii, quibus Prin-  
cipes venandi facultatem concedunt. Ziegler. d. l. n. 14. Utriq;  
respectivè habent suos Ministros, quorum triplex datur status, Sum-  
mus, Intermedius, & Infimus. Ad summum pertinent Der Land-  
Jäger-Meister / & der Ober-Jorst-Meister. Intermedii sunt :  
Der Jäger-Meister / der Jorst-oder Wild-Meister / der Ober-Jor-  
ster / der Jorst-oder Jagt-Schreiber. Infimi vocantur der Jor-  
ster / der Hege-Knecht / der Wind-Hezer / der Jorst-Knecht / der  
Jäger-Knecht. Wehn. Observ. pract. verb. Jorstrecht. Illustris  
Dominus à Seckendorff / in teutschen Fürsten-Staat / v. 3. c. 3. reg.  
5. §. 9. Excluduntur Clerici per c. quorundam. 1. c. episcopum. 2.  
c. omnibus. 3. dist. 34. t. ot. tit. X. de cler. ven. Mor de Nigrom. de  
jur. ven. part. 2. cap. 10. n. 7. Harpr. ad §. 12. I. de R. D. n. 87. adeo,  
ut si quis eorum in hæc voluptate detentus fuerit, si Episcopus, tri-  
mestri suspensione à communione punitur, si Presbyter bimestri, si  
verò Diaconus est, ab omni officio removetur, d. c. episcopum. 2. dist.  
34. & c. episcopum. 1. X. de cler. venat. Prohibitionis ratio ea datur  
à Goffredo de Trano in summâ tit. X. de cler. ven. quia Venator  
discur-

discurrit per devia & invia sicut Diabolus cum ducit animam captivam. Numquid ergo putabimus decere istud genus vitæ hominem Ecclesiastico Ministerio, & vitæ sedatiori consecratum? Alias rationes in genere collegit Franc. de Amaya. *ad l. un. C. de venat. fer. n. 67. & seqq.* quas recenset Ziegler. *de jur. Maj. lib. 2. cap. 14. n. 41. Conf. Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 2. cap. 12. n. 25. & seq.*

## THESIS V.

Objectum Venationis sunt feræ (a), quarum aliæ sunt majores (b), aliæ minores (c). In utroque genere quædam adeo sunt noxiæ, ut eas occidi cuilibet permissum fuerit (d).

(a.) De his dictum supra *thes. 3. lit. c. &* recenset quasdam Olympius Nemes. *cynaget. v. 48.*

*Nos saltus, viridesque plagas, camposque patentes  
Scrutamur, totisque citi discurremus arvis,  
Et varias cupimus facili cane sumere prædas.  
Nos timidos Lepores, imbelles figere Damas,  
Audacesque Lupos, Vulpem captare dolosam  
Gaudemus; Nos flumineas errare per umbras  
Malumus, & placidis Ichneumona querere ripis  
Inter arundineas segetes, Felemque minacem  
Arboris in trunco longis præfigere telis,  
Implicitumque sinu spinosi corporis Erem  
Ferre domum.*

(b.) Hoch/ Grob/ Roth und Schwarz Wildpreth. Roth/ als da sind Hirsche/ Gewild re. Schwarz / als Bären/ Sau/ &c. Wehn. *obs. pract. verb. Forst-Recht. pag. 162. Noë Meurer. von Jagt- und Forstrecht pag. 247.*

(c.) Als Hasen/ Füchse/ Eichhörner/ Nepp- und Feld-Hühner/ Enten/ Gänse &c. Wehn. *d. l. Noë Meurer. d. l.*

(d.) Ut sunt: Ursi, Leones, Lupi &c: *l. un. C. de ven. ferar. lib. 11. tit. 44. Brunnem. exerc. 6. ad §. 12. J. de R. D. n. 2. Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 1. cap. 1. n. 18. & cap. 8. n. 22. Wehn d. l.*

pag. 164. Rutg. Ruland. *de commiss. part 4 lib. 2. cap. 8. n. 56.* adeo, ut etiam quibusdam in locis ejusmodi animal nocivum capientes, premio afficiantur, quod ita fieri in Anglia & Gallia testatur Arnifæus *de jur. Maj. lib. 3. cap. 4. n. 2* Mustelis verò & Martibus, & id genus aliis rapacibus animalibus minoribus, impunè infidiari licet, sed hoc non aliter, quam si intra septa villarum ac domorum prædatum veniant. Meier. *Coll. Jur. Argent. ff. de A. R. D. tb. 15. n. 1.*

## THESIS VI.

Forma consistit in ipsa actuali occupatione ferarum bestiarum. Quæ ut ritè fiat, ante omnia modus (a) adhibendus, hoc est, ne fiat cum neglectione necessarii muneris (b), neq; cum exactione Subditorum (c), & damno Dominorum fundi (d), imprimis autem ut ea fiat Loco, Tempore & Instrumentis legitimis.

(a) Ejus enim quod semel transit modum, nullus est terminus, & Senec. *Philosoph. lib. 2. de benef. cap. 16.* Tenendus, inquit, est ubiq; modus, atq; peccat quod excedit, quam quod deficit. Item Horatius *lib. 1. Serm. Satyr. 1.*

*Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,  
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

(b.) Ut fecit Mithridates Ponti Rex, qui adeo venationi intentus fuisse fertur, ut aliquando septem annis neq; urbis neq; ruris tecto usus inter silvas quasi errabundus vagatus fuerit, & ut Sors eam præbuit occasionem, diversis regionis montibus pernoctavit, ignaris omnibus ubi locorum esset. Hippolyt. à Collib. *in principe. cap. 27.* Mor. de Nigromont. *de jur. ven. part. 2. cap. 12. n. 7.*

(c.) Quidam venationem absolutè & in se consideratam servitutibus realibus annumerant. Treutl. *vol. 2 disp. 20. tb. 3. lit C. Gail. 2. obs. 66. n. 7.* Mor. de Nigrom. *de jur. ven. part. 1. cap. 4. n. 10.* Quidam

dam etiam eam relatè, & respectû modernî ejus usûs, inter Regalia referunt. Carpz. *part. 2. const. 3. def. 25.* Hahn. ad Wesenb. *ff. de Acqu. R. D. n. 7. verb. Et hac nunc precipuè ratio.* Heig. *part 1. quest. 15. n. 44.* Struv. *Synt agm. jur civ. exerc. 41. tb. 10.* Befold. *disp. de Regal. cap. 9. tb. 6.* Brunnem. *exerc. 6. ad §. 12.* J. de R. D. n. 1. Wehn. *obs. pract. verb. Fostrecht pag. 150.* quæ ultima sententia præ cæteris quoq; recipienda, Wehn. *d. l.* Hahn. ad Wesenb. *l. c.* His ita positis, dicimus, quod licet Dominus superior, qui regalibus investitus est, subditos suos ad operas, interdum proprio sumtû præstandas, adigere possit. Harpr. *ad §. 12. I. de R. D. n. 285.* attamen eos, nimis frequentibus & immoderatis operibus, adeò, ut non suppetat tempus se & suos alendi, onerare non debet *arg. l. un. C. ne oper. à coll. exig. lib. 10. tit. 24. l. 1. C. in quib. caus colon. cens lib. 11. tit. 49. l. 17. l. 22. §. 2. ff. de oper. libert.* Gail. *1. obs. 17. num. 1.* Certè eò nomine Barnabas Vice-Comes, inexpiabile populi Odium in se concitavit, quod tanto Venationis studio detentus, per pagos, venationibus oportunos, multa millia Canum, cum gravissimò incolarum sumtû, alenda & curanda diviserat, Jovius *in Barnab. Hippolyt. à Collib. in principe. cap. 27.*

(d.) *arg. l. 24. ff. de serv. prad. urb. l. 2. §. 5. ff. de aqu. Et aqu. pluv. ideoq; damnum à multitudine ferarum, earumque indagatoribus illatum, resarcire tenentur. tot. tit. ff. Et C. ad Leg. Aquil. l. 13. pr. ff. loc. cond. Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 1. cap. 4. num. 20. Zoannet. de dupl. venat. n. 73. Ludvvell. exerc. 4. tb. 5. lit. C. Gail. 2. obs. 68. n. 10.* ubi hanc sententiam non solum piam, sed etiam Juri & æquitati consentaneam esse tradit, & addit Zoannettus *d. l.* alioqvi mortaliter peccare Principes ac Nobiles, neque à tali peccato posse absolvi prius, quam ablata eorum quasi voluntate & culpa, reddant & restituant. *c. si res aliena. 1. caus. 14. qv. 6. c. cum tu. 5. X. de usur.*

## THESIS VII.

Jure Gentium tam in proprio, quam in alieno (a) loco venari licet. Hodie nemo in alieno (b), imò nec in suo (c) venari potest.

est, nisi hoc Jus legitimè quæsitum habeat  
(d).

(a.) l. 3. §. 1. l. 55. ff. de A. R. D. §. 12. I. de R. D. potest tamen Dominus fundi, venatori ne fundum ingrediatur prohibere. d. §. 12. I. de R. D. d. l. 3. §. 1. l. 5. §. 3. ff. de A. R. D. Ingressus autem contra prohibitionem, quicquid ceperit retinet, & suum facit, d. §. 12. I. de R. D. d. l. 3. §. 1. ff. de A. R. D. Schneidevv. ad d. §. 12. I. de R. D. n. 7. Eccolt. ad tit. ff. de A. R. D. §. 14. Brunnem. exerc. 6. ad §. 12. I. de R. D. n. 7. ibiq; alleg. nec capi, nec detineri, ut reddat quod cepit, potest. Cæpoll. de serv. rustic. præd. cap. 21. num. 3. Dissentit Biccus in reb. quotid. sect. 3. th. 12. lit. D. Ne tamen ingressus hæc impunè ferat, contra eum actio injuriarum datur Domino fundi. l. 13. §. 7. ff. de injur.

(b.) Ex notissimâ scilicet Germaniæ consuetudine, de quâ testatur Colerus consil. 19. n. 26. Sunt tamen quibusdam in locis silvæ quædam publicæ liberæ, (qualis illa circa Tubingam, vulgò Die freye Bürsch/ Harpr. ad §. 12. I. de R. D. n. 329.) in quibus omnibus libera venandi facultas permixta est. Besold. Thesaur. pract. verb. Freye Bürsch pag. m. 463.

(c.) Harpr. ad §. 12. I. de R. D. n. 92. & seqq. Heig. part. 1. quest. 6. num. 46.

(d.) Si venationem simpliciter tanquam servitutem realem consideramus, tunc ea instar reliquarum servitutum, pactio- nibus & stipulationibus §. 4. I. de serv. rust. & urb. præd. l. 5. ff. de serv. l. 3. pr. ff. de Usufr. emptione. l. 16. ff. si serv. vindic. l. 10. ff. de evict. precario, l. 2. §. 3. l. 3. ff. de precar. acquiri potest. Gail. 2. obs. 66. num. 6. Treutl. vol. 2. Disp. 20. th. 3. lit. C. Si verò eam respectu ejus usus hodierni inter Regalia referimus, tunc Conces- sione & præscriptione immemoriali acquiritur. Heig. part. 1. qv. 3. n. 31. ibiq; alleg. Ziegler. de jur. Maj. lib. 2. cap. 14. num. 18. & 45. Noë Meurer. von Jagt- und Forstrecht pag. 14.

## THESIS. IIX.

Tempus quod attinet, prohibita est Ve-  
na-

natio regulariter diebus festis (a), tempore  
imprægnationis partusvè ferarum (b), inter-  
dum & tempore nivis (c), & pendentibus  
fructibus (d), nisi necessitate urgente (e).

(a) c. an putatis. 13. dist. 86. Zepper. de legib. Mosaic. lib. 4.  
cap. 9. pag. 339. & seqq. unde dicitur, venantem die festo non audi-  
tâ missâ mortaliter peccare. Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 2. cap.  
10. n. 2. Medic. de ven. part. 1. quæst. 11. n. 4.

(b.) Cum enim ferae, volucres & pisces, non solum sint pro  
ornamento universi, sed & utilitati hominum conducant. Medic. de  
ven. part. 1. quæst. 10. n. 2. in suo autem genere rariores sunt quam  
cicures, facile tota species, in aliqua saltem regione devastari posset.  
Wehn. in parat. ff. de A. R. D. n. 7. ea propter Constitutione D.  
Augusti cautum est, ut à venatione Leporum, Aprorum & Vulpium  
post Bacchanalia usq; ad diem Bartholomæi inclusivè, à venatione  
Cervorum & Caprearum verò, post Bacchanalia usque ad diem Pen-  
tecostalem inclusivè, sub poenâ centum Florenorum abstinenceatur.  
Auschreiben Churfürst Augusti, de anno 1555. rubr. Das feinet  
auff des Andern &c. Medic. de ven. part. 1. quæst. 11. n. 1.

(c.) Medic. d. l. n. 1. ubi testatur, in Hispania tempore nivis  
Lepores venari non licere, ne scilicet species devastentur. Wehn. obs.  
pract. verb. Forst-Recht. pag. 160. tunc temporis enim Lepores sal-  
tem vestigiis eorum in hærendo incauti ferè obruuntur, & facili ne-  
gotio capiuntur.

(d.) Textus est in Landrecht. lib. 2. art. 61. Niemand  
soll die Saat treten umb jagen oder Hekens willen / als das Korn  
geschossen und Gliede gewonten hatt ubi gloss. n. 4. Wer dieses  
thut / der soll den Schaden gelten und verbühren / drey Ecklinge  
zur Busse. Item Churfürst Augusti Ausschreiben rubr. supra al-  
leg. lit. b. arg. l. 30. §. 3. ff. ad leg. Aquil. Sic Incolæ Regni Bohemiæ  
inter se convenerunt, quod nullus in alieno venari debeat, à die Pal-  
marum usq; ad diem Agidii, sub poenâ decem vicenarum, si fuerit  
Nobilis vel alius honoratior, rusticum vero potest Dominus fundi ca-  
pere, ac duabus vicenis mulctare, & si non in are habet, quatuor se-  
ptima.

ptimanis in carcere detinere, ac armis quibus venatus erat privare.  
Lands-Ordnung Des Königreichs Böhmen. rubr. von Weyde-  
werck. part. 2. lit. T. n. 1. Nam qui non habet in ære, luat in corpore.  
l. 7. §. 3. ff. de Jurisd.

(e.) Puta si repentino excursu bestia segetes conculcarent  
ac devastarent, tunc etiam Clericis venatio permessa est. Medic. de ven.  
part. 1. quæst. 11. n. 4. Goffred. de Trano. in summa tit. X. de cler.  
ven. tum quia (1.) devastationem frumenti avertere, maximè Rei-  
publicæ utile est, tum, quod (2.) commoditatem cœlesti provisione  
concessam, temporis momento perire, minimè legum conveniat hu-  
manitati, l. 3. C. de fer. vel si dira fames & annonæ charitas urgeret,  
Medic. d. l. Noë Meurer. von Jagt- und Forstrecht. pag. 133. Necessi-  
tas enim Legem non habet. l. 10. §. 1. ff. de comm. div. c. sicut non alii.  
11. de consecr. dist. 1. c. quod non. 4. X. de Reg. Jur. & hoc est quod Vir-  
gilius Georg. 1. v. 268. cecinit:

*Quippe etiam festis quædam exercere diebus  
Fas & Jura sinunt, rivos deducere nulla  
Religio vetuit, segeti prætere scipem,  
Insidias avibus moliri, &c.*

## THESIS. IX.

Venatoria Instrumenta varia (a) sunt,  
non tamen omnibus æque uti licet. Sclopeti  
(b) enim, & similium nocuorum (c) usus,  
plerumque prohibitus est.

(a.) Ut sunt: Canes, l. 44. pr. ff. de A. R. D. Accipitres, c. epi-  
scopum. 1. c. omnibus 2. X. de cler. ven. Laquei, l. 29. ff. ad Leg. Aquil.  
l. 55. ff. de A. R. D. Foveæ, l. 28. ff. ad Leg. Aquil. Viscus, quod osten-  
dit Martialis:

*Præceps sanguineâ dum se rotat Ursus arenâ,  
Implicitam visco perdidit ille fugam.*

Et Virgilius Georg. 1. v. 139.

*Tum Laqueis captare feras, tum fallere visco  
Inventum, & magnis Canibus circumdare saltum,*

& alia, quæ longò ordine recenset Mor. de Nigrom. de jur. ven. part. 1.  
cap.



cap. 1. num. 13. & Oppianus cyneg. lib. 1. cujus verba juxta Ritters-  
husii explicationem sic se habent:

Et sanè tot gestent ad saltus sylvasq;  
Venatores cupidi venationis gloriosa ferramenta,  
Armaq; venaticam valdè spirantia cadem:  
Cassēsq; furculosq; funiumq; suspiciosa vincula,  
Retia crassa, beneg; plexa vimina; longumq; pantheron,  
Cuspitem trifulcum, Jaculum lati capitis,  
Telum leporarium, fustesq; & alata & velocem sagittam,  
Gladios, securesq; & leporicidam tridentem &c.

& Senec. Hippolyt. act. 1. v. 43.

*Alius varas*

*Cervice gravi portare plagas.*

*Alius teretes properet laqueos,*

*Pictâ rubenti Lineâ pinnâ,*

*Vano eludat terrore feras.*

*Tibi libretur missile telum;*

*Tu grave dextra levag; simul*

*Robur lato dirige ferro.*

*Tu precipites Clamore feras*

*Subessor ages. Tu jam Victor*

*Curvo solves viscera cultro.*

Ubi per Lineam rubenti pinnâ pictam intelligit instrumentum il-  
lud, quod Formido appellatur, ab ipso effectu, quod feras in infi-  
dias agat, Senec. de ira lib. 1. cap. 12. Est enim Linea variis A-  
vium pennis distincta, ad feras terrendas & coërcendas, ut in retia  
agantur. Ejus meminit Virgilius 3. Georg. v. 372.

*Puniceæve agitant pavidos formidine penna.*

& Aeneid. 12. v. 749.

*Inclusum veluti si quando flumine nactus*

*Cervum, aut puniceæ septum formidine penna.*

Hodie pinnarum loco Lintea solent appendi, quæ Wehrtücher/  
Lappen vocantur, Noë Meurer. von Jagt und Forstrecht pag. 63.  
Americani in Florida, quibus præter arcus instrumenta talia non  
suppetunt, ingenioso admodum insidiarum genere feras circum-

C

veniunt

veniunt. Maximorum enim Cervorum, quos unquam ceperunt, exuviis sese induunt, easque sibi tam concinnè aptant, ut per oculorum foramina perspicere possint. Ita personati, Cervos, qui eos minimè formidant, quippe sui similes esse rentur, quam proximè accedunt, præsertim cum potatum veniunt, & ita incauti sagittâ confodiuntur. Theodor. à Bry. *in descript. Amer. part. 2. fig. 25.*

(b.) Negari enim non potest, feras sonitu Bombardarum disturbari, ac in fugam conversas sua iustra relinquere. Hinc Principes in Gnaden und Revers Jagden/ Das Anstellen und Schiessen aus den Hölzern ausdingen und verbiethen Qin & eo Principes Jus Foresti extendunt, ut si in alieno territorio illud habeant, subditi illorum locorum exercitia sclopetorum non permittant. Da die Herren in andern und fremden Landen die Forstliche Obrigkeit haben/gestatten Sie nicht/das in schädlichen Orthen der Wildfuhv/Büchsen-Schützen-Häuser oder Hütten auffgerichtet werden Wehn. *obs. pract. verb. Forstr. pag. 156 Bidenb. qu. nob. 17. n. 6. & seq.*

(c.) Sic in Hetruria Magnus Dux vetuit, ne feræ capiantur instrumento Zonæ, eò quod hòc plures feræ capiantur & extinguantur, & ideo innumera animalium silvestrium sequeretur extinctio. Medic. *de ven. p. 1. quest. 10. num. 3.* Nec fossas, vulgò Wolffs oder Fuchsgruben dictas, iis in locis, ubi vel hominibus vel pecudibus transitus patet, aperire licet. *l. 28. ff. ad Leg. Aquil. Cæpoll. de servit. rust. præd. cap. 21. n. 12.* Id quod etiam dicitur de Laqueis *l. 29. ff. d. t. Cæpoll. d. l.*

## THESIS X.

Effectus Venationis est, quod capta fiant capientium, etiam in alieno solo (a). Cæterum ad effectum etiam pertinet Pœna in remuneratores venationum, in quâ irroganda summi Principes modum (b) adhibere debent. Ea communiter extraordinaria (c) esse debet. Si verò certa lege definitum sit, etiam ad mortem

tem

tem (d) usq̄ve, certis consideratis circumstan-  
tiis (e) extendi potest.

(a.) Videantur quæ dicta sunt supra *ad thesin. 7. lit. a.*

(b.) Extat enim humanissimus textus in *l. n. ff. de pœn.* ubi Ictus Marcianus ait: *Perspiciendum est iudicanti, ne quid aut durius aut remissius constitatur, quam causa deposcit. Nec enim aut severitatis aut clementiæ Gloria affectanda est, sed penso iudicio, prout quæ res postulat statuendum est. Planè in levioribus causis, proniores ad lenitatem iudices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem Legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi Harpr, ad §. 12. f. de R. D. n. 307. Eccolt. ad tit. ff. de acq. rer. dom. §. 16. Alias enim peiores audiant, quam Barnabas Vice Comes, qui lege promulgatâ, inquiri comprehendiq̄ eos aliquando iussit, qui quinquennio ante, contra vetus edictum apros occidissent, aut ex his, vel in aliena mensa comedissent. Hippolyt. à Collib. in principe. cap. 27.*

(c.) Eaq̄ve vel pecuniaria Carpz. in *pr. crim. part. 2. quest. 4. n. 74. & 75.* vel corporis afflictiva, ut exiliû, fustigationis, relegationis, carceris, & aliarum similium. *Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 1. cap. 4. n. 14. 15. & 16. Harpr. ad §. 12. f. de R. D. n. 308.* In his olim Lipsienses poenam numellarum (Des Brangers) & stigmatis inurendi in frontem cum perpetua relegatione pronuntiarunt. Hos secuti Jenenses, Anno 1563. mense Januar. *Coler. decis. 216. part. 1.* ubi ita executionem factam fuisse testatur.

(d.) Multi maximæ autoritatis Jcti, poenam ultimi supplicii hoc in casu omninò negant. Quamquam enim (1) contra Edictum Principis venantes, appellentur *Wildprethts-Diebe*/re tamen probè considerata, furtum non committunt, quia feræ in alterius silva vel territorio oberrantes & vagantes, neq̄ Principis, neq̄ Domini silvæ, neq̄ ullius privati sunt, sed dominio nullius subjectæ, ideoq̄ jure divino & Gentium occupantium fiunt. *§. 12. f. de R. D. Franzk. exerc. 4. quest. 3. n. 3. l. 1. §. 15. ff. si is qui test. ibi Ulpianus, Si nullus sit Possessor, Scævola furtum esse negat. Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 1. cap. 3.* ubi pluribus evincit, hujusmodi vetitæ venationi vacantes, nec furtum committere, nec ad restitutionem ferarum captarum obligari (2.) Concordat cum hâc sententia Jus Saxonicum *lib. 2. art. 61. Landrecht. in verb. init. Da Gott dem Menschen schuff/*  
E 2  
da

Da gab Er ihn Gewalt über Fische und Vogel und über alle wilde  
Thier/ darumb haben wir das Urkund von Gott / daß niemand  
seinen Leib an diesen Dreyen verwürcen möge &c. *ubi gloss. germ.*  
*n. 2. Accedit (3.) quod nimis inhumanum, crudele ac rationi dissen-*  
*taneum foret, pro bestia aliqua mactata, Hominem ad imaginem*  
*Dei creatum, & Christianum Salvatoris Christi membrum, protinus*  
*mactari ac morte plecti. Zoannett. de dupl. ven. n. 99. Carpz. in pr.*  
*crim. part 2. quest. 84. n. 27. & seqq. Wesenb. in parat. ff. de A. R. D.*  
*n. 7. in fin. Joan Sarisber. in polycrat lib. 1. cap. 4. Medic. de ven. part.*  
*1. quest. 5. n. 7. Mor de Nigrom. de jur. ven. part. 1. cap. 4. num. 4.*  
*Eccolt. ad tit. ff. de A. R. D. §. 16. Franzk. exerc. 4. quest. 3 n. 2. Brun-*  
*nem. exerc. 6. ad § 12. J. de R. D. n. 6. Ludvvell. exerc. 4. th. 5. lit. C.*

Quibus tamen parum obstantibus, posse panam capitalem  
in temeratores Venationum decerni, intrepidè affirmamus. Et  
ita fecerunt Serenissimus Elector Saxonix D. Augustus qui  
peculiari quadam sanctione poenam laquei feripetis dicta-  
vit, affixo mandato mense Octobri 1584. Eumq; secuti Illu-  
strissimi Electores D. Christianus I. in rescripto quodam Dresdæ da-  
to, die 26. Jun. 1587. & D. Christianus II. in mandato peculiari da-  
to Dresdæ die 4. Febr. 1603. Non negamus poenam videri severi-  
orem delicto, attamen consuetudini id ascribendum, cujus transgres-  
sor non minus ac Legis punitur, *c. in his. 7. dist. 11.* Nam (1.) æquis-  
simum est, severiorem aliquam poenam, & quidem mortis decerne-  
re, si antea variis Rescriptis & Mandatis, variæ poenæ arbitrariæ, & qui-  
dem corporales definitæ, ad coërcendam maliosorum hominum pe-  
tulantiæ & effrenem rapacitatem non sufficiunt, *l. 16. §. 10. ff. de*  
*pœn. c. tanta est. 18. X. de excess. prælat. Ziegler. de jur. Maj. lib. 2. cap.*  
*14. n. 24.* nec hinc tam ferarum ablatarum, quam transgressionis Legis,  
& maximi contemtus ratio habetur, quæ vel solum mortis supplicio  
coërceri debeat, ipso Deo autore *Deut. 17. 12.* Quò etiam respiciunt  
verba D. Christiani II. Electoris, in renovatione hujus sanctionis:  
Wir auch ohne diß von Gott dem allmächtigen / darumb das  
Schwerdt und Obrigkeit tragen/ daß wir Uns von niemanden in  
unsern landen trocken/ verrachten/ und wiederstreben lassen sollen etc.  
Und wenn einer so Wildpreth geschossen freywillig bekennet / daß  
ihn das Mandat und Verboth zuvor wissend gewesen/ so wird er nach  
Inhalt des Mandats gestrafft. Rauchdorn, *pr. crim. part. 4. cap. 32.*

(2.) ra-

910

(2.) rarissime hujusmodi venationes prohibita, absq; armis & proposito necandi inpedientem, peraguntur, ideoq; ut plurimum cum turbatione pacis publicae sunt conjunctae. Violatores autem pacis publicae, poenam mortis incurrere, expediti Juris est, per ea, quae tradit. Gail. *de pac. publ. lib. 1. cap. 1. n. 6.* quod & Illustrissimum Electorem Saxoniae in suo Mandato poenali respexisse, ex ipsis Mandati verbis, in §. Wenn nun. etc. in fin. manifestè apparet, textus apud Carpz. *prax. crim. part. 2. quest. 84. n. 43.* imprimis verò id liquet ex receptione & confirmatione a vitæ sanctionis, facta ab illustrissimo D. Christiano II. in verb. *Sondern wir werden.* etc. textus itidem apud Prædictum Carpz. *d. l.* (3.) quia fures ob furtum rei minimae, valorem quinque solidorum, excedentis, suspenduntur. *Veint. Hals- u. Ger. Ordnung. Carol. V. art. 159. 160. & 162. Const. El. Sax. 32. part. 4. Schneidev. ad §. 18. J. de Act. n. 12.* Venantes verò in alienis gvarenis, ut vocant, committere furtum verius est, quia non solum is furtum committit, qui alienam rem fraudulentè contrectat, sed etiam qui ejus usum & possessionem intervertit, §. 1. *J. de Oblig. quæ ex del. nasc.* Först. *rr. de dom. c. 9. n. 55.* & is, qui contra mandatum feras capit, est in mala fide, scit enim rem illam ad se non pertinere, ergò, committit furtum, quia id ex affectu furandi profumitur ac colligitur. §. 18. *J. d. t.*

(e.) In dictanda enim poenâ capitali cautè ac circumspectè agendum, nec temerè quicquam præcipitandum est, nam

*Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.*

Juven. *satyr. 6. v. 222.* Ideoque omnes & singulae circumstantiae ante Rei condemnationem probè considerandae atque examinandae sunt, quas longo ordine recenset Mor de Nigrom. *de jur. ven. part. 1 c. 4. n. 18.* videlicet considerari debet (1.) Rei persona, num honesta vel levis, an ætate senilis vel juvenilis sit; (2.) quid se ad venandum impulerit, & an in contemptum Domini gvarenas ingressus fuerit; (3.) perpendatur Locus; (4.) Tempus; (5.) Numerus percussarum ferarum; (6.) Qualitates, ut, an vi armata, an animo sese tuendi venatus fuerit; (7.) ponderetur effectus &c. His itaque probè consideratis, Judex poenam mitigare debet, si circumstantia aliqua & qualitas minuat delictum, & contra poenam exacerbare, si circumstantia & qualitas delicti hoc postulet. *l. 16. §. 10 l. 38. §. 5 ff. de pæn.* Mor de Nigrom. *d. l. ibique alleg.* Sic poenâ suspendii plectuntur ii, qui  
(1.) in

010-2

(1.) in banno ferino Electorali feras percusserunt, qui autem in aliorum Ducum, vel etiam Nobilium, Electoris Vasallorum, silvis ac nemoribus venantur à poenâ laquei exempti sunt. Carpz. *in pr. crim. part. 2. quest. 84. n. 47. 60. 70.* (2.) qui Cervos, Capreolos, Apros, aliasque feras nobiliores & majores, Das Hohe / Rothe / und Schwarze oder grobe Wildpreth venantur, suspenduntur, ii verò qui feras minores, Klein Wildpreth/ capiunt atque furantur, si in banno ferino Electorali id factum, viginti florenos, si verò in Nobilis cujusdam silvis ac saltibus, centum florenos solvere tenentur. Carpz. *d. l. n. 72. 73. 74 & 75.*

Et hæc sunt L. B. quæ pro tenuitate ingenii, de hæc amplâ materiâ proferre potui. Concedo equidem, materiam hanc dignam esse, ut plenius & solidius pertractetur. Verùm cum integer tractatus desuper conscribi possit, & in disputationibus optimum fit brevitati studere, ideoque spero benevolum

Lectorem contentum saltem hæc pauca  
me delibasse

DEOSIT GLORIA



912  
21

Clarissime Domine Respondens,  
Cognate honoratissime.

**A**nnus Jam agitur decimus septimus cum a Con-  
sultissimo Tuo, Parente, Domino Andrea Genen/  
Reipublicæ Torgaviensis Consule, & Syndico  
meritissimo; A vunculo & Patrono nostro, cum in vivis  
esset, venerando, hospitio liberaliter exceptus, Te, in-  
fantiam vix egressum, optimè cognoveram. Quo  
tempore quidem statim apparebat, curam Parentum  
& Præceptorum non fore frustraneam. Aderat enim  
insigne ad bonas artes consequendas desiderium; Præ-  
ceptoribus assidebas assidue, & quicquid illi præcipie-  
bant, excipiebas ad nutum. Quæ res tantum effecit,  
ut, postquam ablegatus esses ad nos, optimis præfidiis  
instructus non modo accederes, sed & Jurisprudentiæ  
studium, nunc per quadriennium felicissimè hacte-  
nus tractare posses, ut quicquid præstiteris, præfens  
de VENATIONE FERARUM BESTIARUM ostendat Di-  
sputatio. Pergas modo in opere benè cœptô. Quod  
si feceris, uti facturum speramus, haud vanè augura-  
mur, fore, ut Parentis optimi vestigiis enixè insistens,  
merita paterna propediem Te sint persecutura. Sed  
ut ex voto eveniant illa, animitus precamur.

T. Clarit.

P. P. Lipsiæ  
d. 3. Dec. 1682.

addictissimus

PRÆSES.

Secken-

13  
QNTA  
2430

**S**Ecūtentur Sylvas alii spelæaqve lustrent,  
Qvos agitare feras tanta lubido tenet.  
**S**ylvis nulla Tibi capitur fera, nulla fugatur,  
O BONE, sed, parili non sine laude, Domi.  
At Tuus haut minor est labor, ipsa teste Dianâ,  
Cura Cui vigilis sæpe notata Tua est.  
O quoties Lux, qvanta fuit, fuit acta legendo,  
Nox quoque, qvanta fuit Legibus acta fuit.  
Ecce ideò fructus! Themidis nunc Pulpita scandis,  
Oppositos nodos diffociare valens.  
Plaudimus! O nostræ Pars dilectissima Mensæ,  
Eveniant studiis fata secunda Tuis!  
Non fera, sed mitis, sed selectissima Nympha  
Ambulet, in casses tandem aliquando Tuos.

Honoris atq; Amoris ergo  
Auctori honoratissimo

F.  
COMMENSALES.

Ad  
Nobilissimum Dn. Respondentem, Disputatio-  
nis hujus Autorem, Amicum & Contubernalem  
meum svavissimum.

**D**Um sermone doces docto sacra jura Dianæ,  
Accinit hæc studiis læta Minerva tuis:  
Perge citus, nemorum scrutare vireta Sopho-  
rum  
Dulcia, qvæ capies, sint Tibi, sint Patriæ!

Prolixiore affectu quam carmine  
scribebam

M. Ulricus Mente, Hamburg.

1077  
MLC

ULB Halle  
002 163 73X

3





B. h. II  
h. 62,

VEN

DN. A

II R  
2430

CRARUM

M,

dinis

. U. D. & P. P.

Torg.

32.

G.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

35.

